


8^o Bibl.

682c

682c
E C I P V A

RVM ENVMERA-
TIO CAVSARVM, CVR
CHRISTIANI CVM IN MVLTIS
religionis doctrinis mobiles sint &
varii, in Trinitatis tamen retinendo
dogmate sint constantissimi.

Per Christianum Francken.





Præfatio Authoris.

DE cōstantia Christianæ religionis disputaturus, qui in nulla hæcenus confidenter constitisse videor religione, afferam prius meæ hui⁹ inconstantiaë causam. Adolescens adhuc, ex sola educatione Lutheranus, necdum verè κριτήρια religionis intelligēs, in Iesuitarum delatus sum labyrinthum: ibique decem annos voluntaria animi ductus cæcitate cum oberassem, tum demum sensi, quàm stultum esset maximā vitæ partem in ceremoniis philosophari, quæ nullam aliam certitudinem haberent nisi stultam credulitatē, quasi diuina factam voluntate, autoritateq; sapientiam. Quamobrem cōtempta infinitarum matre ceremoniarum Romana Ecclesia, totam Lutheranorum, & Caluistarum

* 2

starum perlustraui in Germania & Galliaë finibus regionem, diligenter querens omni errore, superstitioneque; vacuam aliquam religionem. Verum cum hanc ibi non inuenissem, nec alibi facile querere possem: sperarem autem fore, ut paucioribus premerer apud Pontificios, quam apud Lutheranos, & Calvinistas persecutionibus illorum cogitaui gratiam tantum recolligere, ea, quam Iesuitæ sine mea voluntate editam, per totum iam mundum sparserunt, religiosa, & palinodica epistola. O acerbam omnibus Evangelicis epistolam, quæ mihi excidit oblito, quod nondum apud perfectos, sed imperfectos: nondum cum angelis, sed cum hominibus viuerem: neque recordanti maiori crudelitate Pontificios esse barbaros, quam Calvinistas, aut Lutheranos. Est igitur hoc vnum ex maximis meis peccatis,
ob

ob quod solum omni & humana & diuina priuari gratia merear. Sed hæc Deus viderit: ego certè in hoc lapsus peccatum non fuiffem, si hominum a nimis suapte natura liberis nulla vis inferretur: sed quod quisq; ex sacris literis fide perceptum tenere possit, hoc ipsi si non apertè profiteri, saltem liberè præ se ferre sine famæ, fortunarum, & vitæ periculo liceret. Nunc verò tanta est in orbe Christiano seruitus, quātam nullus vnquam immanissimus Ethnicus tyrannus optare ausus fuit: vt mirum non sit quosdam reperiri, qui vnā religionem cum alia, tanquam maiorem seruitutem cum minori cōmutare malint, quàm inconstantia famam pertimescere.

Gloriamur quidem nos Christiani libertate beneficio Christi nobis parta sed reuera leuem ethnicam corporis seruitutem in crudelissimam animo-

rum mutatam seruitutem videmus, totamque fortunam ita conuersam, vt ex seruis domini, ex dominis autem serui facti fuerint. Cum enim natura serui, vt Aristoteles docet, omnes stupidi sint, stolidique homines, corporis viribus pollētes, etiamsi fuerint fortuna domini: natura verò domini omnes sint ingeniosi, quantumuis iniquitate fortunæ seruitutem patiantur: illi quidem nunc omnes apud Christianos domini sunt, partim vi Euāgelii in libertatem vendicati, partim non sentientes, quam hebeti ingenio non intelligunt, animi seruitutē: hi verò iam omnes in Papatu, & plerisque Euangelicorum regionibus serui sunt, imo tanto miserriores seruis, quanto miserabilior est animi seruitus, quàm corporis. Nam credere, sentireque de rebus diuinis debent, non quod ipsi possunt credere, aut

re, aut sentire: sed quod alii volunt, proposita morte, vel exilio, nisi aut ita credant, & sentiant, aut sermone saltem, vultuq; diuersam sententiam tegant.

Quanta quæso, & quàm portentosa hæc est seruitus? Nusquam tam immanis vnquam fuisse tyrannus legitur, qui pauperem occidisset, aut exilio saltem mulctasset, quòd non poterit magnum aliquod a diuite quopiam donum impetrare. At nostri tyranni sacris iultructi literis probè norunt fidem esse donum Dei, non autem arbitrii mei: & tamen innumeros trucidant Christianos, qui hoc nõ possint à Deo donum habere. Omni-
no monstruosa & plus quàm barbara ista est seruitus: quam si nunc Socrates, Plato, Cicero, & alii sapientes Ethnici degustarent: næ illi maiorem apud inferos esse libertatem clamarent,

rent, valdeq; mirarentur quenquam
intelligentem hominem in tanta pos-
se seruitute constanti animo esse. Ad
tantæ autem huius causam seruitutis
cognoscendam nonnihil conducere
putaui, si paucis naturalem constan-
tiæ fontem Christianorum in retinen-
do Trinitatis dogmate aperirem: hac
que ratione omnibus demonstratum
relinquerem, monstrosissimos partus
ali, foueri, retinerique non posse,
nisi horum parentes mōstrosif-
sima seruitute quasi nutrice
vtantur.



PRÆCIPV-
ARVM ENVMERA-
TIO CAVSARVM, CVR
CHRISTIANI CVM IN MVLTIS
religionis doctrinis mobiles sint, &
varii, in Trinitatis tamen retinendo
dogmate sint constantissimi.

Multi mirantur, cur omnium,
quæ vnquam fuerunt, sunt, &
fortè erunt, religionum vnica
Christiana in tanta inconstan-
tia versetur, tot dissecta in se-
ctas, quot enumerari vix que-
ant, quarum maxima quæq; in maximo con-
stâtissima errore cernatur. Sed hi mirari de-
sinent, considerata hominum nostram religi-
onem tractantium qualitate, nimirum quæ effi-
cit, vt qualis quisq; est, talis sibi bona esse do-
ctrina, videatur, & in talem, si liceat, sacras li-
teras sensum interpretetur, non secus, quam,
Aristotele teste, qualis quisq; est, talis ei finis
esse videtur, vt in avaris, iracundis, ebriosis
videre est, qui talem iudicant bonum esse finem,
quales sunt ipsi. Quales autem non fuerint, a qui-
bus audivissime receptum, comprobatum, &

a

profemi-

profeminatum est Trinitatis dogma, nemo
ignorat, nisi qui ipse quoq; huius est erroris
tenebris circumfusus. Eos enim maximè om-
nium fuisse cōstat imbutos consuetudine co-
lendi multitudinem deorum, cum maiorum,
vt Iouis, Apollinis, Martis: tum etiam mino-
rum, vt Castoris, Pollucis, Cereris, Liberi,
Proserpinæ, Dianæ. Ex hoc ergo vberimo
deorum fonte, & innumeri sancti tanquam
minores inuocandi dij, & tres etiam diuinæ
personæ veluti maiores dij adorandi in or-
bem Christianum profluxerunt. Neque mo-
ueor plurimis audiens diuinis suffragijs diui-
narum Trinitatem personarum comproba-
ri: cum vix pauciores flecti & detorqueri vi-
deam sacras sententias ad sanctorum inuoca-
tionem, veri Dei cultui plurimum detrahen-
tem. Quid verò Purgatorium, quid sacrifi-
cium missæ, quid plurimi alij errores vale-
rent, si non sacrarum patrociniū literarum
defenderentur? Ecquis intelligens vir non
animaduertat, quo artificio, tum Romani,
quia pristini memores Imperij, maiestatis, ac
gloriæ essent, totā postea Christi doctrinam,
Christianamq; religionem in pompas, & v-
nius hominis imperium penè diuinum com-
mularint? tum Græci, Scholasticiq; Theolo-
gi, quoniam acutissimi disputatores essent,
totas fermè sacras literas in disputationes
conuerte-

conuerterint? tum Germani, quia libertatis plus æquo amantes essent, omnem suam religionem in solam fidem omnium bonorum feruitute operum solutam & liberam transfuderint? Quis igitur prudens homo non intelligat, plerosq; Christianæ religionis antistites non tam ex diuinis literis religionem, & doctrinam suam hausisse, quàm ad ipsas sacras literas innatam sibi superstitionem afferentes, attente cogitasse, quemadmodum eam verbo Dei vestitam ceu ipsius Christi religionem propagarent? Et quidem cum quatuor offerrentur cuiuslibet ferè sacræ sententiæ sensus, & τὸ ἑνὸς seu literalis, & mysticus seu spiritualis, & tropologicus seu moralis, & denique anagogicus: cumq; plures etiam ostenderentur eiusdem sensus species: non potuerunt spe sua frustrari versuti, & callidi homines. Etenim si secundum vnum sensum, vel vni⁹ sensus speciem res minime successit, arripuerunt statim vel alium sensum, vel aliam eiusdem sensus siue literalis, siue spiritualis, siue moralis speciem, aptam ad cerebri sui idola in aliorum animis fabricanda. Nec difficile legis fuit hæc ipsa trabali clauo postea figere, quàm humanæ rationis naturale lumen diuinis in rebus effulgens planè extinxissent, freti illis Apostoli verbis: Animalis homo non percipit, quæ sunt spiritus Dei: stultitia

a 2 est illi,

A

B.

est illi, nec potest intelligere, quia spiritualiter diiudicantur. Vocari autem animale, qui naturæ lumine nititur. Illum nihil in spiritualibus mysterijs comprehendere, sed profultitia ducere, quæcunq; per reuelationem spiritus nobis patehant. Ergo hac ratione cæcato humani ingenij iudicio facillimum fuit quemlibet fidei articulum condere: & nimium credulis hominibus tanquam cæcis albū esse nigrum, & nigrum esse album persuadere: & tanquam stultis vnum esse tria, & tria esse vnum probare, præsertim inter lucida nulla habentibus interualla, quibus cognoscerent, nimiam credulitatem, quasi ducem, magistramq; habentem diuinam auctoritatem, omnis erroris, & stultitiæ ianuam esse, non ab Apostolo, sed ab idololatriæ apertam, a Christo verò diligenter clausam, cum ex parabolis, rebusq; naturalibus iudicari vellet de rebus spiritualibus: atque satis ita superq; significaret, religionis nostræ mysteria non esse contra rationem: quomodo enim in ea assurgere posset ministerio rationis? sed tam cōfentanea rationi, quàm parua veritas magnæ, & exiguum lumen maximo est simile. Astuti autem homines cum vel vnica micante rationis scintillula monstruosissimos quosq; deprehendi errores posse intelligerent: totam in tenebras, & stultitiam verterūt humanam
rationem

rationem, Christianæ fidei oracula contem-
 plari conantem, vt ipsæ errorum tenebræ
 quantæ essent, nemo videre posset. Quoni-
 am verò experti fuerant, perfecti lumen inge-
 nij nulla posse stulta credulitate obrui, volu-
 erunt illud vi saltem inclusum teneri in ani-
 ma, crudelissimis propositis supplicijs, si id
 aliquando erumpens alijs quoq; luceret. Ne-
 que solum pœnæ metu opprimendum censu-
 erunt maximum quodq; ingenium, sed diui-
 norum etiam spe honorum deprauandum, &
 ad stultissimã idololatriam alliciendum pu-
 tauerunt, latissima patefacta via, qua quis in
 minorum numerum deorum perueheretur,
 si pro maiorum multitudine deorum strenuè
 propugnasset, vti Hieronymus, Ambrosius,
 Augustinus, Thomas Aquinas: sin autem nul-
 lam, vel frigidam illorum propugnationem
 suscepisset, tum verò ignominia, aut nullum
 saltem diuinum expectare honorem cogere-
 tur, vt Origenes, Lactantius, Scotus. Atque
 huic quidem rei certissimã facere fidem tria
 possunt κριτήρια, nunquamq; fallentia signa:
 quorum primo ponam loco æternitatis late-
 bras, atq; tenebras, in quas se conijciunt Tri-
 nitarij, veritatis fulgorem, splendoremq; nõ
 ferentes: & in quibus tanquam tuti, clausi,
 septi, muniti contra plurima rationum mo-
 menta latitare solent. Hi etenim cum in vno

A

B

solo & ὄντῃα & ὑπὸς αἴσθη vero Deo non acqui-
 escentes, λόγῳ etiam verum vellent Deum
 facere, sentirent autem hanc omnes habere
 homines Dei notionem naturaliter mentibus
 insitam, & impressam, Deum esse ens primum
 perfectum, immutabile, a nullo pendens, nul-
 lius indigens, per se sufficiens: Deum verò ge-
 nitum non posse esse ens primum & immuta-
 bile, non a nullo pendens, non nullius indi-
 gens: sed esse ens secundum & mutabile, pen-
 dens a generante, indigens parentis: ut huius-
 modi vim & robur rationis declinarent, cō-
 stituerunt in æternitatem Dei tāquam in du-
 meta correpere, atq; inde voce clamare, λό-
 γῳ generatum fuisse ab æterno: in æternita-
 te autem non esse prius & posterius: non esse,
 qui ab alio pendeat, qui alterius indigeat. Ve-
 rum si quis æternitatis angulos & latebras
 scrutetur ipsius definitionis lumine, facile
 omnes conspicientur, & deprehendentur lu-
 cifugi. Ab omnibus autem recepta Theolo-
 gis æternitatis definitio est, quæ a Boethio
 traditur hisce verbis, Aeternitas est intermi-
 nabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.
 Quam definitionem Scholastici Theologi
 explanantes, Interminabilis, inquit, dici-
 tur: quia quod verè æternum est, caret termi-
 nis durationis, qui duo sunt, vnus initium,
 alter finis durationis: utroque autem caret
 æternitas:

æternitas : quam rem vel ipsum præ se ferre
nomen videtur : dicitur enim æternum qua-
si extra terminos existens. Hac ergo definiti-
one, quasi clarissimo prælato lumine ingre-
diamur in ipsius æternitatis tenebras, dili-
genter inquirentes, an Deus genitus esse pos-
sit æternus, ac proinde ens primum, a nullo
pendens, nullius indigens &c. Vera æterni-
tas cum ante & post sit interminabilis, neces-
se est eius fundamentum, & quasi radicem ef-
se perfectam, absolutamq; immutabilitatem:
quod enim aliquid est immutabile, propte-
rea nec potest incipere, nec desinere esse: quic-
quid enim incipit esse, mutatur de non esse ad
esse: quicquid item desinit esse, id mutatur ex
esse ad non esse. Atqui Deus genitus necessa-
rio cœpit esse, & nequaquam æternus, atque
immutabilis dici potest: Deus item, qui genu-
it, necessario desinit eundem filium generare,
mutatusq; est a generando ad non genera-
dum: neuter igitur verus, & æternus esse po-
test Deus. Si enim quod infinitum est, ubiq;
est: & quod ubique est, immobile est: quia in-
finitum omnem occupans locum, nihil relin-
quit spatij, in quod possit moveri: & si moue-
tur, infinitum non est: non enim omnem im-
plet locum, si non omni caret motu ad locum:
ergo simili ratione quod æternum est, sem-
per est: & quod semper est, ingenerabile est:

quoniam aeternitas omne praeripit tempus,
omnemq; praeripit durationem, in qua quip-
piam generari possit: & si generatur, aeter-
num non est: non enim omnem praeripit
omni festinatione durationem, si non omnem
tollit generationem, in qua generans suapte
natura prius est generato.

Quid? an aeternitas ipsius rei pervertere
naturam ita potest, ut Pater aeternus non fu-
erit Pater, & filius aeternus non fuerit filius?
Stultum quidem fuerit hoc affirmare. ergo
neque efficere potest aeternitas, ut aeterna ge-
neratio non fuerit generatio, id est, produ-
ctio de non esse ad esse: utque non esse λογος
aliquo modo non praecesserit ipsum esse. At
in aeternitate cum non sit prius, & posterius,
non est, quod praecedat, & quod sequatur.
Audio, sed illud vicissim audiatur: in aeterni-
tate non posse esse generans, & generatum,
nisi in eadem sit prius, & posterius. Nam o-
mne quod generatur habet fontem, origi-
nem, principium, causam sui esse: quod esse
si est aeternum, eius quasi mensura est aeterni-
tas ab ipso non distincta nisi ratione, ut & cae-
tera Dei attributa: non potuit igitur esse λογος
oriri ex Patre, quin simul ex eodem ipsi-
us promanaret aeternitas: sed aeternitas pro-
ducta non est aeternitas magis, quam infini-
tum est, quod habet finem: quoniam esse aeter-
nitatis

nitatis est ipsamet duratio æterna, quæ si cau-
sam habet efficientem, quid aliud dici potest,
quàm æternum non esse æternum? An por-
ro vlla de re generata verè affirmari potest,
ipsam nunquam fuisse generatam? nemo hoc
dicere audebit. Restat igitur vt de ea verè
affirmetur alterutrum horum, nimirum vel
tunc generatam esse, vel semper generari: sed
dici non potest λόγῳ semper generari: alio-
qui non haberet esse permanens, sed succes-
suum tantum instar motus & temporis: er-
go verè dicitur, eum tunc generatum esse, si-
ue illud tunc instans temporis, siue æternitas
fuisse intelligatur: sed tunc, cum generatus
est, cœpit habere esse: ergo non ab æterno fu-
it: non igitur fieri potest, vt aliquid ab æter-
no fuerit, & tamen genitum sit. Quare insa-
nire velle cum ratione videntur, qui negātes
in eternitate esse prius & posterius, in eadem
tamen dicunt esse, qui generet, & qui genere-
tur. Sed hīc versipelles elabi conantur per
subtilissimam, quam splendente admodum
sole, repererunt rimam. Aiunt enim, solem
& causam esse lucis, & simul tempore fuisse
cum luce: quamobrem si sol æternus esset, lu-
cem quoq; ei coæternam esse fluentem & de-
pendentem ab ipso. Quo exemplo demōstra-
tum putant, non esse αὐτάρτα, seu non pugna-
re inter se, generatum esse, & ab eterno fuisse.

At cum duplex sit lux solis, vna, quæ in ipſius
solis ſubſtantia hæret, quæq; ſolis, vt aſtrum
quoddam eſt, eſſentiam conſtituit: (ab ea e-
nim ſol obtinet, vt & ſol ſit, & ſol nomine-
tur) altera verò, quæ extra ſolem per aerem
diffunditur, ipſum colluſtrans, & proprie lu-
men appellatur: cum inquam hæc duplex ſit
lux ſolis, vtra cum luce productum volunt
Deum comparari? non cum primâ: quia il-
la non producta eſt a ſole, ſed vna cum ſole
procreata eſt a Deo in tempore: neque cum
altera luce: nam ea poſterior eſt ſole, & ſub-
inde gignitur, ac interit. Frigidum ergo hoc
eſt de luce ſolis exemplum, imo etiam eiuf-
modi, quod ipſis aduerſetur doctiſſimis Tri-
nitarijs Philoſophis, qui Proclo Platonico
Philoſopho acutiſſimè argumentanti, mun-
dum fuiſſe æternum, non aliter reſpondent,
quàm negando poſſe effectus ſimul cum ſuis
eſſe cauſis efficientibus. Sic enim Proclus a-
pud Philoponum ratiocinatur pro mundi æ-
ternitate, De natura boni eſt ſeipſum cum a-
lijs communicare, ſuamq; bonitatem alijs re-
bus quantum fieri poteſt impertiri, & id ma-
ximè conuenit ſummo bono, qui eſt Deus: at
ſi mundus non ſit æternus, per æternum (vt
ita dicam) tempus Deus nihil egit, & ſuam
bonitatem non communicauit: aut igitur po-
tuit ab æterno mundum creare, aut non: ſi

non

non potuit, ergo est finita vi, & circumscripta facultate præditus: si potuit, aut voluit etiam, aut noluit: si potuit, & voluit, ergo fecit: quid enim ei obstare potuit? si potuit & noluit, ergo non est summè bonus, & invidia tangitur: id quod est impium cogitare, nedum loqui aut sentire. Ad hoc verò Trinitarij nostri Philosophi nihil certè aliud respondent, quàm æternitatem aduersari, & repugnare conditioni eius, quod fit. Si enim mundus, inquit, a Deo factus est, ab eo suum esse, ac durationem accepit: at si coæternus ipsi fuit, nõ potuit accipere. nam quod semper est, quomodo ad ipsum esse produci potest? Omnis enim productio aliquid nouum necessario significat. Hæc illi. Nec alio dissoluti modo potest illud Procli argumentum: cur enim Deus bonitatem suam ab æterno rebus creandis non communicasset, si id fieri potuisset? non enim voluntas Dei cum bonitatis suæ pugnare potest lege: nec voluntas esse potest regula bonitatis, sed bonitas potius regula diuinæ voluntatis: quare imperitum est hominũ ad nudam voluntatem Dei tanquam in aram mutam & brutam confugere, vbi euidentissimis conuicti rationibus, veritati tamen sese nolunt dedere. Ex hac ergo Philosophorum necessaria responsione habemus, quod querimus: nempe Deum non potuisse

Benedictus
Pererius Societatis Iesue
lib. xv. de
communib⁹
rerum naturalium
principiis in
solutione ii.
argumenti
& Franciscus
Toletus Societatis Iesue
in commentariis
suis in
2. lib. physicorum
Aristotelis
questione ii.

potuisse generari, si ab æterno fuit: siquidem mundus ad ipsum esse, p̄duci non potuisset, si semper, vel ab æterno fuisset. Atq; hæcenus demonstraui æternam generationem non esse antè interminabilem, & eam ob causam nō verè æternam & immutabilem: nunc confirmo eandem neque post esse interminabilem, & immutabilem. Quid ita? quia æternæ generationis quasi terminus dicitur fuisse λογος: ergo simulatq; hic productus fuit, conqueuit illa generatio: at quo pacto diuina terminari potest generatio, cum quicquid est in Deo sit ipsemet Deus, ac propterea æternum, & immutabile? Huius vim rationis quando Theologiæ viribus infringere non possunt, ad meram se conuertunt λογος αυδαλια, audacter fingentes, æternitatem eminenter cōtinere omnem durationem temporis, & coexistere omnibus differentijs temporis, id est, durationem, quam temp⁹ habet imperfecto modo, sine vlla nimirum permanentia, & cum perpetua successione præteriti, præsentis & futuri, eam durationem habere æternitatem perfectissimo modo, hoc est, totam simul sine vlla eius innouatione: quapropter æternitati omnia etiam præterita, & futura esse præsentia, verèq; dici posse, τον λογον & generatum esse, & generari, & generatum iri. Quod cum fingunt, quid quæso aliud dicunt, quam

quàm eandem rem simul esse, & non esse? esse
quidem, quia æternitati præsens statuitur:
non esse, quoniam vel iam interiit, vel non-
dum producta est. Nec verò dicat aliquis,
rem præteritam & futuram nobis tantum ef-
se præteritam & futuram, non autem æterni-
tati, quæ vnum est nunc stans, semper sibi præ-
sens, semperq; durans. Hoc enim omnem tol-
lit & sensus, & rationis iudicium, quo eviden-
tissime cognoscimus, res præteritas non am-
plius esse, & futuras necdum productas esse:
quare præterita & futura non posse æternita-
ti verè esse præsentia, nisi aliter ipsi, quàm no-
bis & producantur, & intereant: constat au-
tem vnius rei vnicum esse ortum, vnicumq;
interitum. Ex his iam luce meridiana clarius
apparet, Trinitarios nostros verbis tantum
Dei immutabilitatem defendere: re autem ve-
ra ut generantem & generatum, ita & muta-
tum Deum retinere. Sed mirum non est, eos
æternam in Deo mutationem occultare, qui
ne temporali quidem mutatione dignantur
diuinam excellentiam liberare. Nam si ipse
Deus filius post æternam generationem ve-
rè etiam homo factus est in tempore, profe-
cto mutatus est de non esse hominis ad ipsius
esse: quæ sanè mutatio longe maior est, quàm
transmutatio physica ex non calido in cali-
dum, ex nō frigido in frigidum: quippe cum
hæc

hæc accidentalis sit, illa verò quodammodo
essentialis, vtpote quæ per hypostaticam fa-
cta vnionem dicatur.] Nec quicquam eos iu-
uat, quòd ipsa diuinitas non sit mutata in car-
nem, vel substantiam humanam. Etenim nec
subiectum seu materia physica mutatur in
formam substantialem, aut accidentalem: sed
cum aduentantem formam suscipit, sustinet,
atque vehit, tunc ab ea dicitur mutari forma.
Quocirca ipsa etiam hypostasis diuina si ve-
rè in se recepit humanitatem, verè mutata
est ex non homine in hominem, siue hæc acci-
dentalis, siue essentialis, siue media quædam
sit mutatio.

~~F. B.~~
B.
Alterum confictæ Trinitatis insigne iudicium illud est, quòd cum idololatræ nondum contenti duabus diuinis personis, tertiam quoque adijcere vellent, quæ spiritus sanctus vocaretur: non autem ignorarent, nullum extare in totis biblijs de diuinitate spiritus sancti apertum testimonium, imo vnigenitum etiam Dei filium in fraternam societatem nullum alium Deum admittere, sed prorsus excludere tertiam personam diuinam: finxerunt, spiritum sanctum *ὁμοῦσιον* quidem patri & filio, & ab vtroque productum, non tamen genitum, nec alterum esse Dei filium: quia non intellectu, vt *λόγος*, sed voluntatis actione productus fuerit, Quam tamen
commen-

commentitiam, fictamq; doctrinam commu-
nis totius sacrae scripturae refellit consensus,
& conspiratio in duplicem tantum similis
substantiae productionem, creationem inquam,
& generationem: quare spiritus sanctus aut
creatus, aut genitus sit necesse est: at nolunt
ipsum esse creatum: fateri ergo debent eum
esse genitum, & alterum Dei filium.] Nam si
propter diuersum productionis modum nõ
meretur spiritus sanctus filij nomen, ne vni-
cus quidem a Deo productus fuerit filius, pro-
pterea quod aliter Deum, qui spiritus est, ge-
nerare oportet, atq; hominem: si igitur ho-
mo generat, Deus non generat: vel si uterq;
diuerso modo generat, cur non spiritus san-
ctus quoque genitus, & alter Dei filius dica-
tur, cuius productionis modus non tantum
distat a productione filij, quantum huius ge-
neratio a generatione hominis? Deinde si vo-
luntatis actione productus est spiritus san-
ctus, velim mihi respondeant quærenti, num
eandem numero voluntatem in omnibus tri-
bus putent inesse personis secundum vnã
numero essentiam diuinam: an potius tripli-
cem numero voluntatem iuxta triplex sup-
positum diuinum? Non audebunt dicere su-
am, ac propriam esse cuique personæ diuinæ
voluntatem, quando quidem sola personalia
in diuinis dicuntur esse propria, essentialia ve-
rò

rò communia. Quæ autem diuinis sunt per-
sonis cōmunia, illa eadem numero sunt com-
munia: at intellectus & voluntas non sunt
personalia, sed essentialia: vt Scholaſtici, &
omnes alij Theologi conſentunt: quare ea-
dem numero voluntas eſt omnibus tribus di-
uinis perſonis: ergo & eadem numero actio
voluntatis eſt in tribus ἑπιſταμῆνοῖς diuinis.
Quodſi verum eſt, tunc illud omnino falſum
erit, voluntatis actione productum eſſe ſpiri-
tum ſanctum. Nō enim eadem numero actio
ſimul producere poteſt & produci: in Patre
autem & τῷ λόγῳ produxiſſet ſpiritum ſan-
ctum: in ſpiritu ſancto verò eadem eſſet pro-
ducta. Scholaſtici reſpondebunt, eiufdem nu-
mero actionis voluntatis quaſi principium
eſſe Patrem, & τὸν λόγον, veluti terminum
autem eſſe ſpiritum ſanctum. Quid tum? an
nō ex principio, medio, & termino actionis
vna conſtituitur numero actio? Spiritus ſan-
ctus igitur vna erit numero perſona cum Pa-
tre & filio. Deinde terminus actionis non eſt
completa, & omnibꝫ absoluta numeris actio
ex quo ſequeretur ſpiritum ſanctum non eſſe
perfectum.

III. Tertium huius vanæ ſignum doctrinæ
certiſſimum eſt hypochriſtica vnio duarum in
ſecūda Trinitatis perſona naturarum: quam
idololatræ tum pepererunt, cum necdum tri-
bus

A
bus diuinis contenti personis, quartum quen-
dam habere maiorem Deum cuperent, non
tamen auderent cum numero diuersam perso-
nam diuinam facere, ne merum hominem di-
uinae æquare excellentiæ viderentur: verum
tamen vt quartum quempiam si non omnino
maiolem, saltem quasi maiorem Deum habe-
rent, imposuerunt in hypostasi diuina natu-
ram humanam, propria huius hypostasi tan-
quam pelle prius detracta, ne cum homo tan-
tummodo esset, non tamen purus esse homo
videretur, sed Deus etiam propter hyposta-
ticam vnionem appellaretur. Fuit sane calli-
dissimum hoc, aptissimumq; ad humanū De-
um faciendum, commentum: quod tamen v-
num ἐκ τῶν ἀσυνάτωρ esse maximum, nullus
non videt, nisi qui ignorat essentiam re non
distingui ab existentia, & hanc contractam
ad perfectam substātiā vocari hypostasin,
vel subsistentiam: ad partes verò substantiæ
deductam nominari inexistentiam: ad acci-
dens autem deriuatam appellari inharēnti-
am. Iam ergo quis in Theologicis ita plum-
beus esse poterit, vt non intelligat eandem
idololatrie causam fuisse, cur humane Chri-
sti nature propriam hypostasin detraherent,
& cur accidentia panis & vini in eucharistia
proprio subiecto, propriaue existentia spo-
liarent? Sicut enim carnalem fecerāt Deum

4
per hypostaticam vnionem, ita carnalem etiam postea comedere, bibereq; voluerunt Deum per transubstantiationem. Itaq; non factis perpendunt quid credant, qui Pontificios rident tanquam absurdissimè docentes, accidētia panis & vini in eucharistia remanere sine proprio subiecto, propriaq; inhærentia: & tamen cum eisdem æque absurdum, ne dicam absurdius dogma amplectuntur, fouent, retinentq;: nempe humanam Christi naturam esse sine propria subsistentia. Quid enim est essentia sine propria existētia? Idem quod homo sine humana essentia. Porro non minus absurda est ipsa hypostatica vnio, propter quam humana Christi natura sua hypostasi spoliata in nihilum redigitur. Nam si humana natura hypostaticè vnita est diuinæ, proculdubio tota est coniuncta cum tota natura diuina, adeo vt nihil sit diuinitatis, quod sibi copulatam non habeat humanitatem.

Quòd si nihil prorsus est diuinæ naturæ sine humana, necessario concluditur, vbicunq; est diuina, ibidem esse & humanam: diuina autem est vbiquē: quare & humana in omni erit loco: omnesq; Trinitarij erunt Vbiquitarij. Ad hoc quid responsuri sint video: negabunt tanta necessitudine, & tam naturali connexione colligatam humanam naturam cum diuina, vt hæc alicubi sine illa non possit existere. Sed

re. Sed hoc qua fronte repudiabunt, datis ijs,
 ex quibus tanquam principijs & ipsis fonti-
 bus istud necessario deriuatur? Dant enim
 nobis, diuinam naturam esse indiuisibilem, &
 rei indiuisibilis hoc esse ingenium, vt cum ea
 vel tota, vel nullo modo quippiam iungatur:
 dabunt igitur nobis etiam libenter, vel inui-
 ti saltem, naturam humanam toti esse τὸ λό-
 γω iunctam, ita vt nihil sit diuinitatis extra
 Christi humanitatem. Nondum cogimur, in
quiunt, hoc ἄτοπον dare, qui docemus totam
λόγῃ hypostasin vnitam quidem habere hu-
manam naturam, sed tamen totam etiam ex-
tra naturam esse humanam, non secus ac toti
animæ rationali iunctum est caput humanum,
& nihilominus tamen eadem anima tota est
extra caput in reliquis etiam corporis parti-
bus. At hoc non est firmum per fugium: quo-
niam si tota hypostasis λόγῃ est cum huma-
na, & tota etiam extra humanam naturam,
necessario fatendum erit, quod diuina hypo-
stasis quatenus tota est extra humanam natu-
ram, non habeat sibi hypostaticè vnitam hu-
manitatem: sicq; toti esset diuinitati vnita hu-
manitas, & tamen toti non vnita: quod cum
verum esse non possit, ne illud quidem, vnde
hoc manat. Verum vt sit tota τὸ λόγῃ diui-
nitas extra etiam naturam humanam: reci-
pit ne ea in suam quoque hypostasin aliquan-
 do ipsam

A

B

do ipsam humanitatem? si recipit, ergo hypostatica vnio toties dissoluitur, & instauratur, quoties Christus ex vno in alium locum mouetur: vt cum Christus ascenderet in cœlos hæc vnio dissoluta est in diuinitate, quatenus illa ipsa remansit in terris: eadem postea vnio instaurata est in diuinitate, quatenus hæc erat in cœlis: sin autem non recipit, ergo vel diuinitas quatenus erat in terris vnâ cum humanitate subuolauit in cœlum: vel humanitas ante ascensum iam hypostaticè vnita erat diuinitati, quatenus esset in cœlis: si illud dederint, Deum volubilem habebimus: si hoc affirmauerint, Vbiquitarij erunt. Et sane mirum est doctissimos quosque Theologos Trinitarios videre, ipsa attributa diuina, vt esse vbiq̃ue, esse omnipotentem, æternum, infinitum &c. non posse humanæ communicari naturæ, quin ex creatura fiat creator, ex non Deo quidam exsurgat Deus: nolite tamen, vel non posse videre, quòd eadem de causa nec ipsa hypostasis diuina communicari possit humanitati, ita vt hæc propria sua hypostasi priuata sustentetur ab hypostasi diuina, & quidem multo magis, quàm accidens a suo sustentetur subiecto, quàmq; substantia subiecti ipsi communicatur accidenti. Nam eorum, quæ re ipsa sunt idem, & sola ratione distinguuntur, non potest vnum ali-

cui

cui communicari, vt non simul reliqua omnia eidem cōmunicentur: vt totum aliquod corpus, quia realiter idem est cum suis partibus simul sumptis, non potest alicui dari sine partibus, nec omnes dari partes possunt sine toto. Atqui hypostasis diuina re ipsa idem est cum attributis diuinis: ergo ea vel non est communicata naturę humanę, vel certę vnā communicata omnipotentia, æternitas, vbiquepręsentia &c. Ad hoc quid nostri Trinitarij? Ob rationis distinctionem, quę est inter hypostasin & proprietates Dei, non valere dicent consequentiam istam: Hypostasis diuina communicata est naturę humanę, ergo & omnipotentia, vbiquepręsentia &c. eidem est tributa. Imo vero valet istiusmodi consequentia in omnibus iis, quę sola ratione differunt. Nam rationis distinctio hoc tantum efficit, ne vna proprietas de altera dici queat, vt omnipotentia de æternitate, æternitas de sapientia, hæc de subsistentia: non autem impedire potest, vt cui vnum sola ratione differentium cōmunicatur, eidem non cætera omnia tribuantur: vt de toto quouis perspicuum est, quod cum datur, omnes quoque ipsius dantur partes.

Hęc tria iam enumerata, exagitata fictę Trinitatis indicia quem non mouent, eum profecto mouebunt quę his nunc subne-

Etiam fortissima tria, & in omnem mansura
aeternitatem inuictissima argumenta. Pri-
mum autem hoc sit argumentum, Vnitas, &
distinctio $\delta\upsilon\sigma\iota\alpha\varsigma$ vel essentiae magis dependet
ab hypostasi, quam accidentis a subiecto, &
corporis locati a loco. Non enim tantum in-
ter se differunt rationalis substantia & perso-
na, quantum accidens & subiectum, quan-
tumq; locus, & corpus locatum. Atqui vnū
numero accidens non posse in multis esse nu-
mero subiectis, Pontificii Philosophi, Theo-
logiq; fatentur: & vnum numero corpus nō
posse in multis simul reperiri locis, Caluini-
ani nunc pugnant: & quidem merito: alio-
quin enim idem esset vnum, & non vnum: v-
num propter suppositionem, vt in scholis lo-
quuntur: ponitur enim esse vnum numero
accidens, vel corpus: non vnum, quod secun-
dum multitudinem subiectorū, & locorum
necesse sit multiplicari accidentia, & corpo-
ra locata: esse autem vnum, & non vnum im-
plicat cōtradictionem, quam nec ipse possit
Deus veram facere: cum alterum contradi-
ctoriorum necessario sit falsum omni etiam
theologica consecutione necessaria. Pontifi-
cii ergo & Caluiniiani vel suam non intelli-
gunt doctrinā, & religionem, vel nobiscum
negabunt tres in vna $\delta\upsilon\sigma\iota\alpha$ diuinās esse $\nu\pi\omicron\sigma\acute{\alpha}-$
 $\sigma\eta\varsigma$ seu personas. Alterum verò sit huiusmo-
di argu-

A

di argumentum, Deus Pater præter essenti-
 am diuinam, quam eãdem numero & sibi re-
 feruauit, & λόγῳ communicauit, dedisse di-
 citur distinctam hypostasim seu subsistentiam:
 hæc autem τὸ λόγῳ hypostasis vel erat in Pa-
 tre cum generaret λόγον: vel non erat: si erat,
 ergo vna Patris persona duæ erant personæ
 propter duas hypostasies, non enim hyposta-
 sis λόγῳ esse potuit συνᾶμει in Deo generante,
 sicuti in homine gignēte est filii subsistentia:
 sed ἐνεργείᾳ seu actu: sin autem in Patre præ-
 ter propriam hypostasim non erat actu quo-
 que λόγῳ hypostasis, vnde eam λόγος accepit:
 Omnino autem necesse est, vt Deus pater τὸ
 λόγῳ hypostasim vel ex diuina essentia, vel ex
 sua ipsius subsistentia, vel ex nihilo produxe-
 rit: at non ex diuina essentia: quia hæc nec
 generat, nec generatur: alioqui in Patre eti-
 am genita esset: λόγος autem genitus dicitur
 ob propriam hypostasim: neque ex sua ipsius
 subsistentia eam Pater desumpsit. Cum enim
 hæc sit indiuisibilis, tota data esset λόγῳ: sicq;
 λόγος cum Patre vna esset persona propter
 vnam hypostasim, sicut vnus esse dicuntur De-
 us propter vnicam essentiam. Si autem hy-
 postasis τὸ λόγῳ neq; ex diuina est essentia de-
 prompta, neque ex ipsius Patris subsistentia
 desumpta, nihil certè aliud relinquitur, nisi
 vt ipsa sit ex nihilo procreata, ac proinde nõ

B.

15
verus sit Deus, sed quædam tantum creatura.

1. Tim. 2.
Tertio producā loco peruulgatum quidem, sed insigne prorsus, semperq; triumphans illud argumentum, quod Apostolus nobis suggerit, vnum esse scribens Deum, vnum & mediatorem Dei, & hominum, hominem Christum Iesum. Nam si mediator is est, quem & nomen & ratio cogit esse mediū inter personam offensam, & personam, quæ offendit, intercedentem apud partem offensam pro parte quæ offendit: certè non potest mediator esse persona quæ offendit, neq; persona, quæ est offensa. Idem enim intercederet apud seipsum, idemque simul se & iratum ostēderet, & placatum, quo nihil cogitari stultius potest. At persona offensa est Deus Israel, qui vnus est: non igitur Christus est ille Deus. Hunc nodum gordium duobus solent modis incidere potius, quàm dissoluere nostri Trinitarii. Pleriq; eorum ad diuersas confugiunt in Christo naturas, affirmantes Christum esse personam offensam ratione diuinæ, mediatorem verò ratione naturæ humanæ. Verum hi non recordantur vnā constitui Christi personam ex natura humana, & diuina: atque intercessionem, omnemq; aliam actionem non esse naturarum, sed ὑφίσταμένων vel suppositorum: quare non humanā Christi naturam intercedere apud diuinam, sed ipsum

sum Christum intercedere apud seipsum ra-
tione naturæ humanæ & diuinæ, ita vt inter-
cessio oriatur ex Christi humanitate, termi-
netur autem, & desinat in ipsius diuinitatem:
quapropter huiusmodi intercessionem non
duas esse actiones, sed vnicam tantum, duos
tamen respectus habentem, vnum ad huma-
nam, alterum ad naturam diuinam: diuersos
verò in eodem supposito respectus efficere
non posse, quominus idem reuera intercedat
apud seipsum propter vnicam personam, v-
nicamq; actionem. Quid multa? / vel Chri-
stus mediator est secundum naturam tantum
humanam, vel secundum naturam etiam diui-
nam: si secundum humanam tantum, quid o-
pus erat Deum fieri mediatorem? sin verò
secundum diuinam etiam est mediator, nullo
profecto modo euitari potest, quin ipsa quo-
que diuina natura ea parte, qua mediatrix est
intercedat apud seipsam: quod quia absurde
dicitur, cum nemo roget seipsum: fateamur
etiam absurde dici, mediatorem Dei, & ho-
minum esse illum ipsum, qui placandus erat,
Deum. Quamobrem alii solent Theologi re-
spondere, quādo vnica tantum est offensa per-
sona, non posse eandem esse mediatorem: ve-
rum cum multæ sunt simul personæ offensæ,
tunc nihil obstare, quin ex iis vna ipsarum
consensu electa officio mediatoris fungatur:

id quod illustrant exemplo Regis duos filios habentis, quem Regem si turbulenti offendant subditi, vnà etiam ipsius offendunt filios: & tamen fieri posse, vt de voluntate Patris & filiorum alteruter filius deligatur, qui inter Patrem, & subditos fiat mediator. Sed isti non considerant, hominem offensum propterea fieri posse mediatorem inter offendentem, & alium quempiam, qui quoq; fuit offensus, quòd is posita iam ira ignouerit ei, a quo fuerat læsus, quodque ipse placatus, alterum similiter placatum cupiat. At in rebus diuinis non ita sese res habet. Non enim ante placatus fuit λόγος, quàm Pater, & spiritus sanctus, si tres istæ personæ sunt ἑμὸς σίτοι. Deinde non attendunt, Regem humanum & ipsius filios ex se nunquam eligere mediatorem, nisi minus offensi fuerint filii, quàm Rex ipse: cui rei certissima fides sit ex eo, quòd nunquam ipse Rex, cōtra quem potissimum excitata fuerat seditio, mediator fiat inter filios suos, & seditiosos subditos. At verò omnes diuinæ personæ æqualiter offensæ hominum peccatis fuere, si omnes æquè diuinam participant naturam: non igitur vnà magis, quàm alia esse mediator potuit: vel si vnà earum facta est mediator, ea certe non potuit ipsa sibi satisfacere: quandoquidem satisfactio, omnisq; iustitiæ actus non sit ad seipsum

sed ad

sed ad alium: ob quam rem non toti satisfac-
tum Trinitati foret, sed Patri tantum, & spi-
ritui sancto: ideoque altero opus mediatore
fuisse, qui ipsi etiam λόγῳ satisfaceret.

Quid, quod Deus non solum non potue-
rit esse mediator, sed neque vlla causa fuerit,
cur ipse agere vellet mediatorem? Nam duæ
potissimum huius afferri solent rei causæ,
quarum neutram veram esse demonstrabo.

Scholastici aiunt, Deum potius, quam aut an-
gelum, aut purum hominem fieri mediato-
rem debuisse, quòd hominum culpa læsum fu-
isset summum, & infinitum bonum: ac pro-
pterea ipsa quoq; culpa infinita euasisset: que
vt deleretur opus fuisse ἐνεργεία, virtuteq; in-
finita: qua cum solus sit Deus præditus, hūc
solum suscepta carne oportuisse fieri media-
torem, & generis humani redemptorem.

Itane verò peccatum infinitum hæere in
homine potest finito? Non est, inquiunt, in-
finitum ratione subiecti, id est, hominis, sed
ratione obiecti, id est, Dei. At sicut peccatum
hominis infinitum est ratione Dei infiniti, i-
ta etiam bonum op^o hominis infinitum erit,
relatum in Deum infinitum: cur igitur De-
us, si infinite potuit ab homine offendi, non
infinite ab eodem potuisset placari? Quia
non est, inquiunt, par ratio boni, & mali ope-
ris: cum homo ex se possit peccare, non au-
tem

tem suapte natura queat bonum opus Deo
gratum facere. Sed potest ne saltem homo di
uina adiutus gratia tale opus facere? nemo
negabit, multo ergo magis id præstare potu
it homo mediator, qui omnis esset originalis
culpæ expers. Alij verò arbitrantur Deum
non tam immensa hominum culpa, quàm in
finito suo erga genus humanum amore com
motum fuisse, vt ei mediatorem daret sum
mum, & infinitum bonum. Quasi verò Deus,
qui ante peccatum non dederat mundo infi
nitum hoc bonum, per peccatum voluerit ip
si tale bonum largiri. Fatentur enim Theolo
gi pleriq; , si Adam non peccasset, τὸν λόγον
nunquam humanam fuisse suscepturum na
turam. At sine peccato, seu malo non haberi
summum bonum est cōtra summi rationem
boni: quippe quod non ex peccato, seu acci
denti, sed per se alijs communicatur, & com
municari debet, si per se, id est, verè summum
est bonum. Deinde cur nobis non maximæ
agenda essent gratiæ Adamo, quòd peccau
erit, & peccato suo tantum bonum elicuerit?
Tantundem enim aut plus etiam Adami pec
cato mūdus deberet, sine quo infinitum istud
bonum non haberet, quàm ipsi Christo, qui
nec sibi quod ad humanam naturam, nec no
bis profuturus fuisset, si Adam nec sibi, nec
nobis peccasset. Postremò, si infiniti amoris
instinctu

instinctu Deus pater filium sibi consubstan-
tialem in hunc mundum misisset : is profecto
tantum vt suum amorem declararet, maluis-
set sine precio omnia hominibus peccata re-
mittere, quàm acerbissima innocentis filii sui
morte vllius peccati pœnam repetere. Expe-
rimur enim seruum aliquem ab eo magis a-
mari domino, qui animaduersionem, & sup-
plicium, quo vsurus erat in ipsum, omnino
remittit, & condonat, quàm qui pœnas illius
quoquo modo persequitur, non parcens in-
nocenti, si ille ipse, qui peccauerat, nō possit
fatis pœnarum dare. Videmus quoque maio-
ri accendi amore seruum erga eū dominum,
qui debitam pecuniam gratuito remittit,
quàm qui eam quocunq; possit modo exigit,
nullam partem condonans amicis, si ipse de-
bitor non possit summam creditam soluere.
Hic omnes obstrepent, non amicitiaē solum,
sed Dei etiam iustitiaē habendam fuisse rati-
onem : propterea quòd Deo iustissimo om-
nia persoluenda essent, quæ ipsi debebantur.
At si Deus summum suum ius persequatur,
quis hominum ei possit satisfacere ? sin au-
tem de iure remittat aliquid suo, eadem pos-
set ratione totum suum ius dimittere absque
suaē iustitiaē imminutione, si denique ad sum-
mam suam firmandam iustitiam ablegare vo-
luerit $\delta\mu\omicron\delta\sigma\iota\omicron\upsilon$ sibi filium, fatendum erit, De
um

um sibi ipsi satisfecisse. Aur enim diuina λόγος
hypostasis adiuuit humanam naturam in
complendo diuinæ iustitiæ opere: aut nihil
adiuuit: si iuuit tanquam omnium radix, &
causa meritorum: hæc certè in ipsam λόγος
hypostasin, vnde profecta fuerant, redunda-
runt: & ita ipsa filij hypostasis sibimet satis-
fecisset: sin autem hypostasis λόγος nihil hu-
manæ largita est nature ad eam iustitiam per-
ficiendam, cur humana natura ὑποστατικῶς as-
sumpta esset a λόγῳ? Sed quid ego argumen-
tor nullam fuisse causam, cur Deus esse vel-
let mediator, cum ipsemet Dei, & hominum
testetur mediator, se non esse ipsum Deum?
Nam Christum disertis verbis, se extremi iu-
dicij diem ignorare, affirmantem, ac proin-
de se Deum ipsum esse negantem, interpre-
tari non possunt, id respectu humanæ fuisse
naturæ locutum, quin eundem & mendacij
& hæreseos coarguant, atq; condemnent, si
is quoque Deus ipse est. Omnes enim do-
cti agnoscunt, quòd cum duo sunt in aliqua
persona principia, quorum altero quippiam
agatur, altero verò non agatur, non verè de
ipsa affirmari persona possit, eam non agere
cum ex altero saltem principio agat: vt in
homine duæ sunt naturæ, vna animalis, alte-
ra rationalis: quare si quispiam aliquid igno-
rans animali natura, cognoscens autem illud

natura

3
natura rationali, nihilominus tamen simpli-
citer pronūtiaret, se id ignorare, sentiens se-
cundum naturam animalem se id nescire: is
profecto magn⁹ nugator esset, & non verum,
sed mendacium diceret: quoniam falsò nega-
tur de persona, quod ei per alteram saltem in-
est naturam. Sic planè si Christus vltimi iu-
dicij diem præsciuit ex diuina natura, non
potuit id de sua persona verè negare propter
humanæ ignorantiam naturæ. Non enim vt
verè de toto affirmatur, quod ei ex altera tā-
tum inest natura, ita verè de eodem negatur,
quod ipsi per alteram dūtaxat non adest na-
turam. Etenim verè affirmatur, Christum es-
se ipsum Deum, si diuinam ipse habet natu-
ram: & falsò pronūciatur, Christum non es-
se ipsum Deum, nec per vllam dispensatio-
nem huiusmodi falsa propositio vera fieri po-
test, etiamsi secundum humanitatem Chri-
stus non sit ipse Deus. Simili ergo ratione si
Christus secundum diuinam naturam verè
přecognouit extremi iudicij diem, falsò hoc
de se ipso negauit, nec min⁹ errauit quàm is,
Trinitarijs iudicibus, erraret, qui sine vlla ex-
ceptione affirmaret, Christum non esse con-
substantialem Patri, non æternum &c. Atq;
hac eadem ratione omnis intercluditur ipsis
via, qua ad humanā prolabi naturam solent,
vbicunq; Christus aliquid de se negat, quod
soli vero Deo conueniat.

Univ. Bibl.
München